

*CELEBERRIMIS ERUDITISSIMISQUE*

V I R I S,

# TIBERIO HEMSTERHUSIO,

*Graecae Linguae & Historiae Patriae in Academia*

*Lugd. Batava Professori,*

E T

# ABRAHAMO GRONOVI,

*Bibliothecae Lugd. Batavae Praefecto.*

 tsi ea , quae Celsus in his libris posteritati tradidit , a studiorum ratione , quam Vos suscepistis , abhorrere videantur : tamen ob dulces , qui per eum nitent , latini sermonis lepores dignus mihi vel in primis visus est , qui Vobis , Viri Celeberrimi , ex veteri formula dicaretur . Neque enim sum nescius , quanta Vos voluptate ii veterum scriptorum perfundant , qui casta , qui concinna , qui ornata sine fuso ac pigmentis loquuntur . Quorum in numero cum Celsus non postremum locum obtineat , non dubito , quin vobis gratus sit acceptusque futurus . Sed quid ego tam alte dedicandi causas repeto , cum mihi magis propriae & quasi domesticae in promtu sint , qui hoc a me officium jure quodam suo flagi-

\* 3

tare

tare videntur? Cum enim Celsum denio  
sub prelum revocarem, neque esset, cuius  
in ea re vel consilio vel opera uti potuisssem,  
Vos, Viri Praestantissimi, mihi nonnun-  
quam, ut sit, haesitanti consilio affuistis,  
& praeterea ex Bibliothecis instructissimis,  
quicquid ad Celsum ornandum pertinere  
videretur, liberaliter suppeditastis. Non  
is ego sum, qui hic in laudes Vestras satis  
jam concelebratas, neque cum Vobismet  
intermorituras, excurrat. Faciant hoc alii,  
qui majori vel ingenio florent, vel dicen-  
di ubertate. Ego gratissimum animum pu-  
blice testatus, id a Deo immortali precan-  
dum Vobis & continenter exorandum du-  
co, ut Vos melioribus literis & Academiae  
praesidio, rebus familiae semper florenti-  
bus, salvos diu & incolumes servet.

Vestrorum,

Viri Celeberrimi atque Eruditissimi,  
Amplissimorum Nominum

*Cultor admiratorque  
perpetuus*

JOH. ARN. LANGERAK.

Lugd. Batav.  
d. xxx. Sept.  
MDCCLV.

P R A E-